

efferantur, vt vix audiantur. *Disoient* dicebant, efferitur vt singularis *disoit*, sic *chantoit* pro *chantoient* canebant, *pleuroit* pro *pleuroient*, lugebant: syllabam tamen paulò magis in plurali, quam in singulari produces.

O.

**O** Non differt à pronunciatione Latinâ, nisi quod in quibusdam dictionibus *ou* pro *o* reperiatur: veluti in *douleur* pro *doleur* dolor, *vouloir* pro *voloir* velle *flourir* pro *florir* aut *flerir* florere, &c.

Ineptè & ridiculè multi *choufe* pro *chose* vsurpantes magnam putant in linguâ perfectionem attigisse.

Si dupliciter *o* non particularem pronunciationem, sed syllabæ productionem requirit: vt *roole* ordo, duarum non trium syllabarum, vt antea iam dictum est in literâ *A*.

Notandum est, quod si in medio dictionis duplex *m* aut *n* *o* sequatur prius *m* aut *n* ad *o* pertinens, nonnunquam pronuncietur vt *u*; verbi gratia *connoistre* cognoscere, seu vt alij volunt *cognoistre* mutat in pronunciatione prius *n* in *u*; sic *counoistre*, *homme* pro *homme* homo, *coume* pro *comme*, vt *douner* pro *donner* dare; meliùs tamen si prout scribitur efferas, *connoistre l'homme comme*, &c.

*O* non recipit Apostrophum.

*Oy* vel *oy* diphthongus propria sonum habet compositum quasi ex *o* & *e* seu potius *a* sic *Roy* Rex, *foy* fides, *loy* lex; quasi *Rae*, *foe*, *loe*, aut *Roafoa*, *loa*, breuitr & vnica syllaba efferendo.

Si *n* sequatur vnica syllabâ etiam efferetur; vt *soing* cura, *moins* minus, *foin* foenum,

*Royne* vel *Reyne* Regina adlibitum scribes, & semper pronunciabis *Rène*.

Hanc diphthongum *oi* multi è recentioribus aulicis vt e Gallicum, seu vt *ay* diphthongum proferunt: sic *i' auay* pro *i' auoys*, habebam, *paretre* pro *paroistre* parere, *fraid* pro *froid* frigus; quæ pronunciatio, cum sine fundamento & ratione contra doctissimorum normam sit recepta, reiicienda videtur.

Ou